

Wf  
665



h. 6

I  
I



VOTUM ANNUUM  
IN  
HONOREM NATALITIUM

*Illustrissimi ac Celsissimi*

*PRINCIPIS AC DOMINI*

**Dn. JOHANNIS**

**PHILIPPI**, Ducis Saxoniae, Juliae,  
Cliviae & Montium, Landgravii Thuringiae,  
Marchionis Misniae, Comitis in Marca & Ravens-  
burg, Dynastae in Ravenstein, Principis ac Domini  
sui clementissimi,

*Cum XXV. Januarii ANNO MDC XXIIIX.*

*Annus Aetatis suae XXXII. feliciter  
auspicaretur,*


Faustae & submissae gratulationis,  
ac debitae fidelitatis contestandae  
studio



*humilime oblatum*

à

**THOMA VVEINRICHIO SS.**

Theol. Licentiato, Ecclesiae Lipsiensis ad  
D. Nicol. Ministrò.



  
 VOTUM ANNIVERSARIUM  
 HONOREM NATALITII  
 PRINCIPIS AC DOMINI  
**DR. JOHANNIS**  
**PHILIPPI**,  
 CIRCA ANNO MDCCLXXII  
 MARTINIUS  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  
**THOMA VVBIRICHIO**  
 MDCCLXXII  
 MDCCLXXII  




RINCIPIS ILLUSTRIS rediit

*Lux annua; Sacris*

*Lux natalitiis concelebranda suis!*

Ergò primitias votorū JANE PHILIPPE

Offero; quæis Superi pondus inesse

*Sit Superis superi supero super ætheris arcu, (sinant!*

*Hoc pro servato gratia summa D U C E.*

Scilicet hos plausus atq; hæc solennia poscit

Gaudia, quæ faustô sidere nata dies.

Et meritò, siquidem quocunq; ferantur ocelli,

En Superùm laudes promere cuncta jubent.

O utinam tantas mihi *Musæ* in carmine vires,

Ingenioq; meo flumina tanta darent:

Ut dignis valeam numeris celebrare *DRNASTAM*,

Laudes & meritas concelebrare Tuas!

*TE DUCE* nam florent sacri pia dogmata verbi,

Quæ superant pretiò cuncta metalla suò:

*TE DUCE*, nec melior quisquam, nec amantior æqui,

Cumq; -potes pressos quâ ratione juvas:

*TE DUCE*, justitia est constans, plus commoda

quærens

Publica, quàm privæ conditionis opes:

Quæ bona, quæ mala sint, quid profit, quid sit hone-

Quid contrà noceat, dedeceatq; vides: (stum,

A

2

Sub-

Subjectam fulcis generosô pectore turbam,  
Membraq; paciferâ subdita lege regis:  
Asseris afflictæ dubium pietatis honorem,  
Et sacra propensô dogmata corde foves:  
Palladias Musas, & doctas diligis artes,  
Diligis & studiis pectora culta bonis.  
Perpetuum parit hoc non vanæ laudis honorem,  
Perstat, & extremos durat ad usq; rogos.  
*Aspice*, jactentur quò res nunc turbine cunctæ,  
Fluctuat in mediis fessa carina vadis?  
*Ecce* fremunt nostrô durissima tempore bella,  
Bella sonat tellus, sidera bella sonant:  
*Arma* sonant omnes, omnes, *arma, arma* loquuntur,  
Et quocunq; oculos verteris, *arma* sonant:  
Intereunt bellô, studiis pereuntibus, artes,  
Intereunt belli tempore, templa, Scholæ:  
Culta Novenarum turbantur dona Sororum,  
Artibus ingenuis vix domus ulla patet:  
Regna ruunt, fervent totum impia bella per  
orbem,  
Signaq; sunt iræ jam manifesta DEI:  
Nunc SATANAS osor veræ pietatis & hostis  
Assiduè nobis irrequietus adest:  
Nil sinit infectum, dum conspirare Tyrannos  
Ulcisci q; suam nititur ille vicem:  
*PAPA* studet nostros gladiô delere minaci,  
Et penitus patrios exspoliare lares:

Cernis

Cernis & ut passim cœlestia verba professi  
Intereant tetrīs ignibus, ense, cruce:  
Hic quoq; ubi sacri tractantur dogmata verbi,  
Non satis à sœvis sunt loca tuta lupis:  
Quêis lacerare gregem Christi est studium, atq;  
voluptas,  
Plurima Christicolis damna dedisse piis:  
Ut taceam reliquas pestes, tot monstra, tot hostes?  
Sanguine qui nostro se satiare volunt.  
*Ergò age summe Deus nostri miserere: fatemur*  
Peccata, & mens est, conscia nostra mali:  
Tristia quæ nobis portendunt sidera cœli,  
Clementer mutes, ceu bonitate soles.  
Avertasq; malas astuti Dæmonis artes,  
Angelicum nostris partibus adde gregem!  
Fortiter hinc reprimas spirantes arma Tyrannos,  
Fac sibi non aliis damna nefanda ferant.  
Aurea *PAX* redeat, fac nobis otia Pacis,  
Qualia *Natalis* luce fuêre *Tui*.  
Aurea *PAX* redeat: totô *Mars* exulet orbe,  
Jura Magistratus, templa, scholasq; tege:  
Et Reges, quorum tuta est *Ecclesia* scutô,  
*Saxonicam* imprimis sed tueâre *Domum*.  
Non Dea, quæ cœca est, quæ vultum mutat in horas,  
Instabilisq; fugax vertitur orbe rotæ.  
Præsidet Imperiis, idem qui præsidet astris,  
Ipse Deus Reges regnaq; justa fovet.

Prima Patrum monitis parebat spontè Juventus,  
Quisq; suæ genitor Rex erat ipse Domûs,  
Verùm ubi jam venâ pejore ferocior ætas,  
Promptior inq; nefas omne secuta fuit.  
Et furiis ad opes majores acta parandas,  
Quàm dederat nutu cuiq; favente Deus.  
Fas omne abrumpens abruptit fœdera pacis,  
Nec contenta suæ limite fortis erat.  
Ille hominum Genitor, cui rerum summa pote-  
stas,

Qui vult à cunctis jusq; piumq; coli.  
*Chamigenam* fatô, Domini cui nomen amari,  
Excitat, & ferri sumere sceptrâ jubet.  
Quosq; Paternatos hinc inde impunè ruentes,  
Pacifîcâ nequirit lege tenere Domus,  
Dextera *NimRodi* cunctos compescuit armis,  
Jussit & in leges protinus ire feras:  
Hoc reparata metu *pax & reverentia juris*  
*Ortus* & hic *Regum primus* in orbe fuit.  
Summaq; Majestas primùm *Babylone* refulsit,  
Cui *Ninivæ* vires junxerat ampla suas.  
Secula post aliquot *Chaldæi* stipe Monarchæ,  
Turpiter à factis degenerante Patrum,  
Venit ad armatos translata potentia *Persas*,  
Conciliat pietas hoc tibi *Cyre* decus.  
Inde ubi luxuriat vitiis Gens postera Regum,  
Spemq; Deo vacuum concipit esse polum.

*Magnus*



*Magnus Alexander* felici Marte *Darium*,  
Fundit, & occisi regna thronumq; capit,  
At juvenem invictum necat insidiosa voluptas,  
*Pardalis* ut capitur non nisi victa merô:  
Principis Imperium sequitur *partitio regni*,  
Inter præcipuos est ea facta *Duces*:  
Hi velut anguigenæ per mutua vulnera robur  
Conficiunt proprium, seq; suumq; Genus.  
*Mutua* fregit ubi tumidos *Discordia* Reges,  
Occupat Imperium *Roma* juvante DEO.  
*Julius* at rerum post civica bella potitur,  
Haud scio, quâ *Cæsar* sorte vocatus erat.  
Hoc cæsô *Augustus* Mundi suscepit habenas,  
Quô, voluit nasci, scepra tenente, Deus.  
Donec ad Augustos pervenit gloria *Gallos*,  
Imperiiq; caput *Carole* primus eras:  
Rursus & à Gallis translata *Monarchia*, celsit  
*Germanisq;* thronum fata dedere viris.  
Hic magni longâ *Herôes* subiêre catervâ,  
Nomina quæ referunt rectius historiæ:  
Induperatorum & series, Regumq; potentum  
Imperium *septem* cui tribuere *VIRI*:  
Unde etiam regnat totô nunc *Cæsar* in orbe.  
Majores præstans Rex pietate suos.  
*REX FERDINANDUS*, Romani gloria sce-  
ptri,  
Cæsaris Augusti nomina celsa gerens.

Det

Det Deus hoc pactô, ut multos feliciter annos,  
Cum *Natis* regnet saluus ubiq; suis:  
Seclâq; restauret, miti moderamine, Mundo,  
Qualia *Saturno* Rege fuisse ferunt.  
Providet ergô Deus certô moderamina fatô  
Publica, quô possint colla proterva regi:  
Ne custode carens pereat sociatio gentis  
Humanæ, monstris dilacerata feris.  
Ordinis ac autor cuius Deus ipsemet, acer  
Illius & custos ordinis esse solet.  
Non frustra gladium gestat veneranda Potestas  
Principis, est summi namq; ministra Dei!  
Regum nemo potest propriô sibi sumere Marte  
Quicquam, fulgenti sunt & ab axe Duces.  
Ipse gubernantes Deus hos armavit ad usus,  
Ut sint cultores tempus in omne sui.  
Urbibus ut præsent multâ cum fruge, subinde  
Consiliô sapiens instruit hosce Deus:  
Qui populos flectant, qui justè regna guber-  
nent,  
Arbitriis certis, consiliisq; bonis.  
Quos penes est igitur magni custodia mundi,  
Quiq; Magistratus sunt pia dextra Dei.  
Cum primis foveant cælestis dogmata verbi,  
Et juvenes quotquot discere vera student.  
Ne facer occumbat grex, aut Ecclesia nutet,  
Proq; Scholis curam, more parentis, agant.

Sint

Sint quoq; divinæ custodes legis, & illam  
Proponant populis exacuantq; suis.  
Istius ad normam, quod erit laudabile visum,  
Præcipiant ipsis, & nocitura vetent:  
Inde suas debent Leges & Jura tueri,  
Quæis formet mores subdita turba suos:  
Tum quoq; compescant illos, quicumq; rebelles,  
Legibus abjectis, in scelus omne ruunt.  
Conservent etiam tranquillæ tempora pacis,  
Defendant populi corpora, resq; , sui.  
Finibus ejiciant hostes, reprimantq; latrones,  
Ac pro *Lege* gerant prælia, proq; *Grege*.  
Ut sub iis possint tranquillam degere vitam,  
Et possit tutò quisq; tenere suum.  
Ista Magistratum decet omni tempore cura,  
Hæc sunt Principibus perficienda bonis.  
Hic ordo rerum est; modus hic: lex summa To-  
nantis,

In cuius sita sunt omnia Regna manu.

*Quapropter magna est Tua nunc laus JANE PHILIPPE,*

O decus! O patriæ firma Columna Tuæ!

Qui decus antiquum prælustri Stemmatis ornas,

Principis atq; boni nomen habere cupis!

Te focii regni, Te complectuntur Amici,

Te laudant Cives, Te extera regna colunt.

*Maestè Tuâ virtute:* pium ne desere cœptum,

Adsint Imperio fata benigna Tuo:

B

*Maestè*

Maçtè animò *PRINCEPS* deêrunt sic præmia nun-  
quam,

Sic Te perpetuâ laude manebit honos!

*Quod superest*, Dux Illustrissime *JANE PHILIPPE*,

Ne videar Nomen dememinisse Tuum:

*Ecce* Deo magnas, libamina dulcia, grates

Fronte serenatâ corde rependo meô:

Qui Te, qui nobis præsentî sidere fanis,

Natalem reducem reddidit axe *TIBI*:

*SALVE prælustri Princeps; Salve Inclyte Princeps!*

*Salve Saxonica gloria magna Domûs!*

*Salve, & clementer Dux perge favere Camœnis!*

*Salve, Musarum Dux, patriâq; diu!*

Cumq; *TUIS* vigeas, vivasq; superstes in annos,

Hunc videasq; *TIBI* sæpè redire diem!

Propitiô tandem *Tua* numine regna gubernet,

Nostraq; confirmet vota precesq; *DEUS*!

*F I N I S.*






L I P S I Æ



*Typis exscribentur* GREGORIUS KIRSCH,  
ANNO M. DC. XXVIII.





ULB Halle

3

004 973 682




TA 70L

10-17









VOTUM A  
IN  
HONOREM NA

*Illustrissimi ac*

PRINCIPIS A

Dn. JOH  
PHILIPPI, Duc

Clivæ & Montium, La  
Marchionis Misniæ, Comit  
burg, Dynastæ in Ravenstein  
sui clement


Cum XXV. Januarii AN  
Annum Etatis sue  
auspicare

Faustæ & submissæ  
ac debitæ fidelitatis  
studii

*humilimè ob*

à

THOMA VVEI  
Theol. Licentiatô, Ec  
D. Nicol. M



**Kodak**

LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

